



R A C H I T I S.

1480. **M**edio fere labente seculo decimo sexto, in mediterraneis Britanniae primo, deinde per totum hoc regnum, denique & per omnia Europae borealis loca, ortus est morbus novus, hodie frequentissimus, qui Rachitis appellatur.

1481. Infantibus ille nunquam connatus, raro ante nonum aetatis mensem, vix unquam post biennium vitae, sed spatio hoc medio frequens, accidit.

1482. Maxime autem infestus habetur proli, cuius parentes laxa & debili conditione corporis; otiosi; molles; opipara mensa, cibis pinguibus, saccharatis, paucō pane, vinis dulcissimis, & aqua multa calida, usi; morbis chronicis, venere, aetate, exhausti, Tabi in primis venereae, & iteratis gonorrhæis, multum obnoxii; effoetam ferme genituram impenderunt generandis liberis.

1483. Ubi vero nutricem iisdem affectam malis nactus est, magis augetur infanti praecoci incremento morbus.

1484. In primis si frigidius, humidiusque, tractatur, aquosis, mucosis, crudis horæis, piscibus, farinosis azymis, & saccha-

charatis, pascitur; febre autumnali intermittente, morbo chronicō, vel acuto, diu laboravit; a scabie, herpete, ulceribus, suppressis male curatus; balneo, fotu, linimentis, unguentis, vaporibus humidis, enervatus; perpetuae quieti in sella perforata addictus, nudato inferius corpore.

1485. Cognoscitur morbus hic incipiens in his, qui nondum incedunt, 1. ab aetate. 2. a causis praegressis. 3. a fratribus, sororibus, simili malo captis. 4. a tumore flaccido capitis & faciei. 5. a cute laxa. 6. a tumore abdominalis. 7 a macilentia reliquarum partium, in primis muscularum. 8. a protuberantia epiphysion ad juncturas radii, ulnae, humeri, genu, tibiae, fibulae. 9. a magnitudine arteriarum & venarum jugularium, dum reliquae decrescunt.

1486. In illis vero qui jam ambulare inceperant noticitur adveniens malum. 1. ex omnibus antecedentibus. 2. ab incessu tardiore, infirmo, prolapsu, instabilitate, transeunte in assiduam sedendi voluntatem, mox abitaram in decubitum perpetuum, tandemque in impotentiam motus quorumcunque artuum, collo flexili, capite nuntante. 3. ab ingenii praematuro acumine, sensuum sincero exercitio, appetitu & digestione ferme illaes.

1487. Adultior morbus exhibit magnum caput,

caput, suturis amplis interstinctum; Thoracem ad latera compressum ad sternum inaequum assurgens, cum nodosis costarum extremis; abdomen protuberans; cariosos cum nigritudine dentes; quae sensim aucta saepe in omni vita perniciosos similes morbos creant, maxime spinam ventosam & cariem ossium.

1488. Toto interim decursu mali lenta febricula depascitur corpus usque in mortem; tumque cadaver omnes fibras, membranas, vasa, viscera, mollia, flaccida, humores solutos, mucososque, exhibet.

Quare causa proxima mali cacochymia iners, mucosa, frigida, vappida, latente forte leni labe venerea permista, cum laxa partium firmarum fabrica.

1489. Curatio optima fit. Cibo levi, eupepto, sicciori, minus pingui, aromaticis mitioribus condito, saepe dato & copia moderata. Potu paucō, meraco, ex Cerevisia inprimis non veteri quidem, at diu cocta & spissa. Aere sicco, calidiusculo. Vestitu accurate sicco, calefaciente ex lana praeprimis confecto. De cubitu super storeis ex aromaticis, roborantibus, exsiccantibus, herbis factis, in elatiori aedium parte, supra tabulata lignea. Gestatione, concusione, oscillatione

ne

ne, vescione in rheda super strata viarum, frictione multa, calida, sicca, pannis fumo aromatum perfusis, instituta maxime ad abdomen & spinam. Cantharidum iterata quandoque applicatione, vomitoriiis lenibus aliquoties cum prudentia repetitis. Purgantibus deinde roborantibus per aliquot dies successivos adhibitis. Denique usu diu continuato medicamentorum roborantium exsiccantium, antiscorbuticorum, & spiritus excitantium. An & immersio in frigidam prodest? an linimenta? & quae?

RHEUMATISMUS.

1490. **A**rthritidi, podagrae, scorbutaque, agnatus morbus frequentissimus deprehenditur, qui Rheumatismus appellatur.

1491. Quem antecedunt temperies sanguinolenta labe acri infecta, aetas mascula, victus laetior, calefacto corpori subito admissum frigus, autumnalis tempestas, perspiratio prohibita, diathesis inflammatoria lentior cruento pleuritico se manifestans. Cum febre continua incipiens, dolorem creat atrocissimum, dilacerantem, ad minimum motum saevissime auctum, diu